Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Vermes parati sunt, qui nunq̃ moriunt. Tibi et angelis tuis inextinguibile præparatur incendium: quia tu es maledicti homicidij princeps, tu author incesti, tu sacrilegiorum caput, tu artium pessimarum magister, tu hæreticorum doctor, tu totius obscoenitatis inuentor, Exi ergo nunc impie, exi scelerate, exi cum omni malitia tua, Quia hominem templum suum noluit esse Deus. Sed quid diutius moraris. Da honorem Deo, cui omne genu flectitur. Da locum Jhesu Cristo, qui pro homine sanguinem suum fudit. Da locum spiritui sancto, qui te beato Petro Apostolo manifestauit in Symone: qui fallaciam tuam in Anania et Saphira condemnauit: qui te in herode rege honorem Deo non dante percussit; qui te in Elima mago per apostolum suum Paulum cæcitate caligimis perdidit. Et per eundem de phitonissa uerbo imperans exire præcepit. Discede ergo nunc discede seductor, tibi enim Eremus sedes est, tibi habitatio serpens est humiliare et prosternere non est iam differendi tempus: ecce enim dominator dns, proximat cito ignis ante ipsum ardebit et inflammabit in circuitu inimicos eius: Si enim hominem fallis, deum non potes fallere neq̃ irridere. Ille te expellit, qui tibi et angelis tuis æternam præparauit gehennam, de cuius ore exiet gladius bis acutus: Ille te excludat cui uirtutes uniuersæ subiectæ sunt, qui uenturus est. etc.

Obtestatio.